



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Apollo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

quo omnes animi morbi scaterē pullulareque sentiuntur, Laetantius Firmianus, Septimius Florentinus Apologetico, neque non illi omnes, qui cum Aristotele Platonis verba, non sensa, cavillis incessunt, hoc dissimularunt, in quo summa sapientiae veritas delitescerebat. Sed ut animi Medicum cum his dissimulemus: non desunt Platonis interpretes, qui Galli huiusmodi sacrificium eo trahunt, ut animas in caelum migrantes Phœbo pœana, canere comminiscantur.

APOLLO. CAP. XIX.

Gallicinii proprietas.

Atque etiam à Pausania in prioribus Eliacis.

Inter ea, quae Apollini dicata sunt, quippe Arietem, Crocodilum, Scarabeum, Accipitrem, Lynxem, Gallus etiam à Chæremone Stoico, & à Porphyrio recensetur. Infitum autem est Gallis, inquit Proclus, numen Apollinis advocare, & veluti propriis canticis asurgenti applaudere: deat lib. de Divinatione ait Cicero, animal hoc admodum canorum est sponte sua, nos vero sacris hymnis canimus gallicinio Luciferum venturae lucis prænuncium excitari, obductum caligine coelum aperiri, dari copiam ut patefacta jam via errores ambagesque omnes declinemus, canente Gallo, valetudinariis aliquam salutis, aut salutem allevationis spem affulgere, metuciosos trepidatione liberari, & multa, quae per insidias parabantur dissipari: quae omnia advenientis lucis beneficia sunt. Neque vero Soli tantum, verum etiam Luna dicatum esse Pythagoras aiebat. Pausanias, ubi statuas eorum, qui cum Hectore singulari certamine congredi, coniectis in urnam fortibus, minime recussissent, ab eo provocati, ab Achivis in Olympia dicatas ait, Idomeni clypeum Gallo gallinaceo insignitum fuisse tradit; propterea quod is à Minoe & Pasiphae duceret originem, quae Solis filia fuerit, cui Gallum dedicari constat: quia ortum ejus praesentiat, cantu indicet mortalibus.

EXCUBIÆ. CAP. XX.

Lib. 4.

Quia vero Gallus à prima mediæ noctis inclinatione solet ex-
plaudentibus, ut Lucretius ait, *alis*

Aurorum clari consuetus voce vocare,

matutino crepusculo, matutinis astris Deum itidem laudantibus quotidie commodulatur, excubiarum & vigiliarum signum apud antiquos fuit: eaque de causa Mercurio dicatus ferebatur. Ac ut nostra quoque attingamus, eo multo ante lucem canente aberrans respicit Petrus, & ut Ambrosius ait, expergefactus facti culpam incessit sui, amaroque fletu crimen rebellionis expurgat, ne mirum adeo sit, quod datam aliti huic intelligentiam apud Jobem legimus.

Tempus respicientia D. Petri, à Matib. c. 26. Capic. 38. v. 36.



PROPHETÆ DOCTORESVE. CAP. XXI.

Rom. 14. De Gloria munit.

Sunt qui super hoc Jobis dicto intelligi velint Prophetas, & sacrae disciplinae Doctores hieroglyphice per Gallum accipi: propterea quod illi inter vitæ praesentis tenebras, venturam lucem quam cantando prænunciarunt: unde illud in eorum ore frequentius, *Nox praecessit, dies autem appropinquat.* Est & illud congruum Doctoris munus, ut quibus, quid, quando, & quomodo sit quicquam indicandum, inferendumque animis, debeat velut divinitus cognovisse: non enim inquit Eusebius, una eademque cunctis exhortatio convenit: quia nec cunctos par morum qualitas devincit atque constringit. Itaque Gallus certa per intervalla modo hos, modo illos excitat, & antelucanum tempus discrimine veluti quodam dipartitur.

PUGNACITAS. CAP. XXII.

Pausan. in prioribus Eliacis, Vel quod praesentia futuri temporis.

IN Eleorum arce, Pallados simulacrum ex auro & ebore, Phidiae opus, erat cum Gallo in galea surrecto: quod pugnacitatis hieroglyphium esse Pausanias arbitratur, cum tamen non inficeret Gallum Minervæ, cognomento Operatrici, sacrum esse. Sane Sybaritæ, gens ad omnes molliumque numeros nata, Gallum in urbe esse prohibuerunt, ne nocturni somni quidem interpelleret. Idemque & fabriles omnes artes ablegaverant, ut memoriae prodidit Athenæus, ne quid esset, quod vo-

luptates